

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7227

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Geoffroy Ridel, Ely (évêque)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1176, 29 août-1179]

Lieu d'émission : Westminster

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation d'un accord conclu entre l'évêque d'Ely et les Templiers, en présence de Geoffroi, comte de Bretagne.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dodsworth Roger, Dugdale William, *Monasticon Anglicanum, sive Pandectae coenobiorum Benedictinorum, Cluniacensium, Cistercensium Carthusianorum..., de canonicis regularibus Augustinianis...*, Londres, Longman, Hurst, Rees, Orme & Brown, 1817-1830, 8 vol., t. 1, p. 485.

b. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DXLVI, t. 2, p. 123-124.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 123.

Texte établi d'après b

H., Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus et omnibus ministris et fidelibus suis Francis et Anglis totius Anglie, salutem.

Sciatis me concessisse et presenti carta confirmasse prece et petitione G. Elyensis episcopi et prioris et conventus ejusdem loci, et fratrum milicie Templi Salomonis de Jerusalem, conventionem factam inter eos de Daneia et Elmeneia cum pertinentiis, hanc scilicet quod predicti fratres Templi teneant duas partes de Elmeneia cum terra quam Robertus camerarius com[itis] Richemont[is] donavit in villa de Beche ecclesie Sancti Jacobi et Sancti Leonardi de Daneia in presentia domini Nigelli episcopi pro salute anime sue et antecessorum suorum quando locus ille ab eodem Nigello episcopo fuit consecratus, videlicet IX. acras, in unoquoque campo III, et unum curtillagium, libere et quiete, et sine omni consuetudine tenend[as]. Et predicti fratres Templi tenere debent illud masagium quod tenuit Godricus filius Rafridi Brit[onis] cum tota terra quam ipse tenuit in campis, que se defendit pro dimidia virgata, et nonam garbam de Wilburgeham et de Wendeia, de dominico, quam predictus Robertus supradicte ecclesie Sancti Jacobi et Sancti Leonardi dedit, et ecclesiam de Wendeia et omnia pertinentia ejusdem ecclesie. Tenere etiam debent ecclesias terre Roberti quando vacabunt, scilicet de Wendeia et de Wilburgeham

et de Kirkebi, et IIII. acras et dimidiam in insula de Daneia, quas Albericus Picot dedit jam dicte ecclesie Sancti Jacobi et Sancti Leonardi, remanente nichilominus ad usum ejusdem ecclesie insula de Elmeneia, cum terra quam Henricus pater predicti Alberici donaverat eidem ecclesie in villa de Beche, videlicet cum VI. acris, scilicet II. acris in unoquoque campo et uno curtillagio. Hec autem predicta que prefati donatores sepedicte ecclesie Sancti Jacobi et Sancti Leonardi de Daneia caritative contulerunt et cartis suis confirmaverunt, et que comes Conanus Richemont[is] ad feodum suum pertinentia carta sua similiter confirmavit, tenebunt sepedicti fratres Templi in perpetuum de ecclesia Elyensi et conventu per inter eos factam inde conventionem, scilicet quod Ricardus de Hasting[is], magister et custos rerum quas domus Templi Salomonis habet in regno Anglie, et successores ejus in eadem amministrazione, et fratres ejus solvent annuatim ecclesie Elyensi et conventui IIII. marcas, scilicet duas marcas ad festum Sancti Michaelis, et reliquas duas ad festum Sancti Botulfi, assignatas ad hospitalitatem exhibendam in duabus festivitibus Sancte Etheldrid[e]. Et si quis adversus predictos fratres Templi super hiis predictis omnibus in causam processerit, stare debent cum eis prior et conventus Elyensis ad propriam expensam suam in episcopatu Elyensi, et extra episcopatum ad fratrum expensam. Hanc autem conventionem inter eos factam concedo et confirmo sicut carta G. Elyensis episcopi confirmat.

Testibus : G. Lundoniensi episcopo, Ricardo thesaurario, Gaufrido filio regis comite Brit[annie], Ricardo de Luci, Willelmo de Vesci, Hugone de Gund[evilla], Hugone de Creissi, Bertr[anno] de Verd[uno], Radulfo Filio Stephani. Apud Westmonasterium.